Amplissime et Clarissime Vir,

Delector suavitate ingenii tui, et
humanitate literarum, ab te elegan-
ter scriptarum, et quibus tuum in me
perspexi studium, benevolentiamque
singularem. Respondebo officiis, et
faciam, ut intelligas, me nihil,
quo commodare tibi, aut servire
homini bono possim, si per vires
meas liceat, praetermissurum.
Reckenbergium, quem commen-
dasti, in oculis fero, cum ob nobi-
litatem stirpe sua dignam, tum
ob insignem, qua aliis praestat,
diligentiam, atque modestiam,
qua commilitones plerosque omnes
vincit. Recti haec res exempli
est, et te literarum ac sapien-
tiae doctorem maxime de-
cet, ut juvenes non imperitos et
rudes, sed moratos cultosque
in Saxoniam mittas, qui laude
sua seculum ornent, famaque
sermones Prussiae impleant,
et de universa civitate patria
bene mereantur. Poli-
tissimo juveni, optimo
disciplinae tuae alumno
multum debeo, quod per-
pulchro suae penicillo colo-
res duxit, et sic te elegan-

380v

terque lineamenta faciei meae ex-
pressit. Libros in primis epistolam
a me editos Veniare constitui, data
occasione Torunium perferendos.
Nostrae Saxonum res miserae sunt,
aerarium Academiae exhaustum,
opes imminutae, reditus tenues,
difficillima patriae tempora, in qui-
bus versamur, ita Suecenses de no-
bis meriti sunt, ut nemo ne pace
quidem hospites in posterum expectet.
Abeant longe, et in faucibus mari,
sua manu consistant, nunquam
reversuri, nisi mitiores in Germani-
am mores afferant, et religionem
in mansuetudine ostendant. In
Hispania summis viribus experien-
tur belli fortunam foederati princi-
pes ac Galli, cedat regno Philip-
pus, et Carolo restituat, quod
armisque ereptum injuste possi-
det ac detinet, aliquam nullam
spes faciendae pacis erit, vel
maxime ob [illegible], quae clas-
sibus annum advehit, Hispa-
niamque ditat. In re literaria
quaedam edita videas, nec mag-
ni momenti, et libris implic-
ita, quas juveniis musae di-
serunt. Vale Amicorum optime,

T. Ampliss. Dignit.

Addictissimus

C S Schurtzfleischius

Vitembergae Saxonum
CIↃ IↃCCVIII.

P.S. Locum Plinianum nondum
excussi, quoniam dissertatio, quam
vero dederas, intercidit, si alind
ejus exemplum mihi offeratur, curabo,
ut doctorum meliore quaestio quamprimum
satisfiat. Frater meus salu-
tare te jubet, et fausta omnia
precatur

Viro
Amplissimo, Nobilissimo
clarissimoque Domino
IÄNICHEN,
illustris Gymnasii, quod
Thorunii est, Rectori
laudatissimo meritissimus,
professori sacrarum lit-
terarum, et eloquentiae
par couvert. publico, Fautori meo
propere observando
Thorunium